



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 10. Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, vt maximis  
minima molesta sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Non infert injuriam, qui offert meliora. Panis Christi fiunt, qui, Christi caussa, moluntur dentibus bestiarum. Deniq; sic in martyres euadunt, quo maius, in terris, nihil possunt adipisci, & quod ipsi flagrantissimis votis desiderauerunt.

§. X.

*Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, ut maximis minima molesta sint.*

Illud hic iteratò mihi dicendum est, retinuisse quidem hominem, etiã post patratum ab Adamo delictum, in omnes bestias dominium, non tamen ita plenum ac absolutum, vt priùs, & cum discrimine bestiarum. Etsi enim capere, occidere, & in victũ, aut vestitum, aut pharmacum, aliũm in finem, omnes potest; non potest tamen, omnes perinde domare, ita vt, quemadmodum veller, cicurentur, & ad nutum illi famulentur; & penitus molestiam non creent. Excederet hæc felicitas miseriam exulantis. Qua de caussa, ait Hugo Victorinus: *Dominari quidem debuit homo omnibus animantibus, sed per peccatum amisit dominium, & in maximis, & in minimis. Retinuit tamen dominatum in medijs. Perfectiorem scilicet. Nam equos, & asinos, & bo-*

Hugo an.  
not. in  
Genes.

Plin. l. 17.  
c. 6. nat.  
hist.

ues, & oues, & capras, itemq; aues dome-  
fticas, & subsidiaria jumenta satis habet  
in potestate; maiora his animalia difficilius  
adigit ad parendum; minima minime. Nā  
quis vnquam, vsque ad moleftiam, alioqui  
familiares muscas cicures vel fecit, vel vi-  
dit? *Nullum animal, inquit Plinius, minus*  
*docile, quam musca, existimatur, minorisue*  
*intellectus.* Annue, abige centies, centies re-  
deunt: vel ferendæ sunt, vel feriendæ. Cu-  
lices, doma, si potes. Interdiu indignanti  
aculeum profundè infigunt: noctu auribus  
obftrepunt buccinādo, & dormire verant.  
Iube eos tacere, si potes; vel aculeū condere  
in vaginam, si tanta tibi est authoritas. Ad  
viliora veniamus. Pediculis impera, ne te  
mordeant. Quā diu viuunt, tam diu cor-  
pus tuum est illorum pratum. Ibi pabula  
carpunt, quo neque Apollo Admeti boues  
adigere ausus fuisset. Ius hoc illis hære-  
ditarium est. Ibi natale solum. Dente illuc  
redeunt, vnde corpore toto prodierunt.  
Quod si de pulicibus sit loquendum, totæ  
possent Iliades recitari. Nam licet ars illis  
catenas cuderit, & retia, quib⁹ capiantur,  
fabricārit, Vulcanijs illis subtiliora; licet  
multi ijs venādis multas horas impendāt;  
haud

haud tamen hanc celerem pestem à se  
possunt amoliri. Bestiæ sunt exiguæ, sed in  
pungendo acres, in fugiendo veloces; in  
sanguine sugendo insatiabiles. Cogun-  
tur etiam eas tolerare delicatissimæ cutis  
Poppæ & Cleopatæ, quæ quò gracilius  
sefe stringunt vestiendo, eò permittunt il-  
lis licentiùs grassari, cum manus non pos-  
sit accedere ad pabulantes. Atque, vt hu-  
mani dominij intelligentiùs consideremus  
diminutionem: Ponamus ante oculos mi-  
litia ducem, eumque non è communibus  
& obuijs vnum, sed Hectori, aut Achilli  
parem; aut, qualem diuinæ litteræ descri-  
bunt, Goliath de Geth; qui erat *altitudinis* **1. Reg. 17.**  
*sex cubitorum & palmi: & castis area super **14.**  
*caput eius, & lorica squamata induebatur:*  
*porro pondus loricae eius, quinq; millia siclorum*  
*aris erat: & ocreas areas habebat in cruribus:*  
*& clypeus areus tegebat humeros eius, hastile*  
*autem haste eius, erat quasi liciatorium texen-*  
*tium, ipsum autem ferrum haste eius sexcen-*  
*tos siclos habebat ferri. Hunc talem Poly-*  
*phemum, quo incedente, terra, sub pedi-*  
*bus eius, tremebat; quo vociferante, con-*  
*cutiebatur aer, resonabant montes, siluæ*  
*trepidabant; pulex audet aggredi, morsu**

laceffere, & vsque ad impatientiam exagitare. Non illum cassis area, non lorica squamata, non ocreæ & clypeus solidissimo metallo graues, non hasta validissima, contra animal, quod visum fugiebat, defendere potuerunt. Vincitur à pulice, qui totos exercitus solus prouocauit.

## §. XI.

*Cur minima animalia potius hominibus sinat esse molesta Deus?*

Si ergo Deus hominem constituit perfectum omnium animalium, quando dixit:

**Gen. 1. 26.** *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & presit piscibus maris, & volatilibus cali, & bestijs, vniuersaq; terra, omniq; reptili, quod mouetur in terra; Si, etiã post originale delictum vniuersorum,*

**Gen. 9. 2.** *minus pronunciauit: terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terra, & super omnes volucres cali, cum vniuersis, qua mouentur super terram: qua de caussa minutissima illi animalia non obediunt, sed ad impatientiæ verba vsque infestant? Nimirum etiamnum homo harũ est Dominus terrorq; bestiarum, quas capere callidè, & occidere licitè potest. Verùm etiam ab illis cruciari potest, vt habeat, vnde se agnoscat*

mor-